
De Graecorum ritibus nuptialibus e vasculis demonstrandis.

Dissertatio inauguralis archaeologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores
in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca
rite impetrandos scripsit

Alfredus Nawrath

Die VII mensis Martii anni MCMXIV
hora X et dimidia
disseret doctorandus in aula minore
De fabularum Romanensium anagnorismo.
Deinde erit promotio.





Lignitziae
Typis Officinae Caroli Seyffarth
MCMXIV.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Ricardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est a. d. IV non. Sextil.
anni MCMXIII.

Ricardo Foerster

Francisco Skutsch †

s.

Argumentum.

Caput I.

Cum praeter lexicographos perpauca de Graecorum ritu nuptiali habeamus testimonia[1]), monumenta necesse est exquirere ad hanc rem spectantia. Quorum etsi suppetit copia haud parva, multo quam Sticottius opinatur maior, tamen pluribus nondum sunt usi viri docti, et quae in usum suum contulerunt, sescentis dispersa sunt commentationibus[2]): breviter ut dicam, monumenta ad Graecorum spectantia nuptiarum caerimonias adhuc nondum sunt plene tractata ut Romana ab Augusto Roßbach (Römische Hochzeits- und Ehedenkmäler, Leipzig 1871). Quod mihi in hoc quidem propositum est commento.

Anno h. s. XII complures cum versatus sim menses in Graecia et Italia, monumentorum de quibus sum disserturus mihi licuit permulta perscrutari in museis ipsis. Omnibus qui me in hac re adiuverunt hoc quoque loco facere non possum quin gratias agam quam maximas, imprimis praeceptori meo Riccardo Foerster qui haud modo ut hanc scriberem commentationem me impulit sed etiam in ea perficienda opera et consilio haud destitit iuvare.

§ 1. Romanorum ritus nuptiales praecipue illustrantur sarcophagis, Graecorum vasculis. Vasculorum quoque primas agit partes genus quod monumentis est affine sepulcralibus angusteque cohaeret cum mortuorum cultu — *λουτροφόροι*, vasa illa fictilia gracillimae formae tenui instructa ore in disci formam extento, quae quidem recentioribus temporibus repetebantur marmore sive in statuarum sive anaglyphorum modum fiebantque magis magisque luxuriosa, donec Demetrii Phalerei lex sepulcralis a. 317/6 huic quoque generi artis sepulcralis Atticae finem faceret[3]).

---

[1]) Quos fontes collegerunt C. Fr. Hermann/Bluemner, Lehrbuch der griechischen Privataltertümer, 1882 § 31 et Petrus Sticotti, Zu griechischen Hochzeitsgebräuchen, Festschrift für Otto Benndorf, Wien 1898 p. 181.

[2]) Quarum recentiores enumerat Brueckner, *Ἀνακαλυπτήρια*, 64. Programm zum Winckelmannsfeste der Archaeologischen Gesellschaft zu Berlin, 1904 p. 18.

[3]) Cic. de leg. II 64: *Sepulcris autem novis finivit modum: nam super terrae tumulum noluit quid statui nisi columellam tribus cubitis ne altiorem aut mensam aut labellum; et huic procurationi certum magistratum praefecerat.* (Cf. Brueckner, Arch. Anz. 1892, 23).

Quae vascula cur sint electa, ut sepulcris imponerentur, facile intelleges, si Graecorum memineris moris lavare mortuos, antequam conderentur. Tale vasculum sepulcri *ἐπιστήματος*, ut cum Platone (leg. XII p. 958 E) loquar, munere fungens praebet mortui deploratio repraesentata in lutrophoro Atheniensi figuris nigris ornato (Mon. d. Inst. VIII 5_1 g h). Secundum Hesychium non omnibus mortuis imponebatur sed solum iis qui defuncti erant matrimonii exsortes (s. v. *λουτροφόρα, τὰς ὑδρίας τοῖς ἀποθανοῦσιν ἀγάμοις ἔπεμπον· ἔπεμπον δὲ καὶ (εἰς) τοὺς γάμους* et s. v. *λουτροφόρος· ἔπεμπον εἰς τοὺς γάμους λουτροφόρους καὶ τοῖς ἀγάμοις ἀποθανοῦσι τὸ αὐτὸ ἐποίουν*)[1]), sive ut defunctus quasi post mortem fortunae fieret particeps qua caruerat vivus, sive quod saltem mortuo volebant praestare officium propinqui, quod vivo erant prohibiti. (Cf. Wolters, Rotfigurige Lutrophoros, Athen. Mitt. 16, 1891 p. 371 sqq., cuius eiusmodi vasculorum catalogus auctus est a Richtero, Ann. of the British School at Athens XI 1904 05 p. 224 sqq.). Quae commutatio quo tempore sit facta haud scimus, equidem puto V. saeculo, quod vetustiora quidem vascula figuris nigris ornata praebent scaenas sepulcrales i. e. *πρόθεσιν, ἐκφοράν, θρῆνον*, exemplaria autem figuris rubris ornata rebus nuptialibus instructa sunt[2]). Paulo post igitur si dico de lutrophoris, semper de vasculis agitur figuris rubris exornatis.

Alter fons haud minus fecundus, e quo possimus cognoscere Graecorum ritus nuptiales, sunt *γαμικοὶ* vel *νυμφικοὶ λέβητες*[3]) (vascula ventriosa plerumque operculo cooperta[4]) alto nitentia pede geminisque in utraque umeri parte ansis. Quae vasa etsi persaepe nobis occurrunt in nuptiarum repraesentationibus ipsis, tamen adhuc rixantur cuius fuerint usus. Furtwaengler quidem (Slg. Sabouroff, vol. I comm. tab. 58/9) crateras ea esse opinatus erat in quibus

---

[1]) Cf. C. I. A. II 3 1994 (ad gradus bibliothecae S. Trinitatis Cantabrigiensis super anaglypho sepulcrali vas Atticum exhibente, in quo vir et iuvenis manus iungentes) *Εὐθύκριτον . . μητρὶ φίλον καὶ πατρὶ κασιγνήταις τε ποθεινὸν πᾶσί τε ἑταίροισιν σύντροφον ἡλικίας.* Vocantur parentes, sorores, amici, non uxor. Ex silentio igitur concludendum sepulcrum lutrophoro exornatum esse erectum c a e l i b i.

[2]) Quae etsi protrahuntur e tumulis, tamen puto haud esse accipienda pro monumentis sepulcralibus, quorum munere illis quidem temporibus fungebantur lutrophori illi marmorei, sed pro donis nuptialibus, quae ut reliqua mortui supellex cum eo condebatur post mortem.

[3]) Hoc nomen occurrit in I. G. II 2 720 v. 36 (721 3), illud II 5 767b v. 63.

[4]) Intendas velim malum granatum lebetis quem publicavit Brueckner, Athenische Hochzeitsgeschenke, Ath. Mitt. 32, 1907 tab. 1 (quam commentationem brevitatis causa significabo nota Br.).

misceretur aqua cum odoribus. Quae sententia vel forma vasculi mihi videtur refelli, quae cum superior pars inferiore sit angustior, nil habet commune cum cratera. Quae vascula haud esse e simplici gynaeconitidis supellectile sed aliquo modo cohaerere cum nuptiarum caerimoniis vel Furtwaengler sensit, cum observavit (in comm. tab. 68) in eius modi vasculis haud raro Amores versari apud puellas et praecipue unam a ceteris solere circumdare segregatam. Woltersius observans lebetes semper occurrere duplices, interdum etiam aggregatos lutrophoro perductus est ut censeret lebetum altero aquam lutrophoro allatam frigidam esse servatam, reliquam partem in altero calefactam[1]). Quod si rectum esset lebesque hic nil esset nisi vas balnearium, ut hydria qua utebantur Graeci ad lavationem cotidianam, nonne esset mirum eos occurrere vel in nuptiarum scaenis, ubi vasi balneario nullus est locus? Deinde haud crediderim frigidam aquam in vasculo esse asservatam, quod, ut statim demonstrabo, solum eo est constructum consilio, ut aliquid calefaceret. Brueckner autem (qui l. c. praebet catalogum eius modi vasculorum, qui idem auctus est a Richtero l. c.) lebetum usum haud modo petit e forma sed etiam e picturis, quibus sunt ornati; hydriae ad lavationem pertinentes praebent puellas aquam portantes, amphorae praemiorum, quibus quidem donabantur qui Panathenaica vicerant, certamina argumentaque gymnica, lecythi olearii cum mortuis conditi offerunt defunctum ut descendit ad inferos, vel superstitum ad sepulcrum luctum, lutrophori vero ut paulo post intelleges, ornati sunt puellis aquantibus vel pompa nuptiali. Lebetes igitur cum maxima ex parte praebeant *ἐπαύλια,* i. e. caerimonias posteri diei, non modo verisimile est sed pro certo habeo ad hunc ipsum diem eiusque memoriam esse factos ac depictos. Superior pedis pars cum sit pertusa exiguis foraminibus circuli vel cordis formam praebentibus – interdum solum pictis – quae hoc modo solum possunt intellegi, ut ignis subiectus aere irrumpente acrius inflammetur, certum est lebetes completos esse calidis quibusdam rebus, fortasse cibis, sive adportabantur mane maritis[2]) sive adponebantur thalami portae[3]), haud modo, ut opinatur Brueckner, eo consilio, ut haberent quod mane surgentes

[1]) Idem contendunt Bluemner (Über griechische Hochzeitsgebräuche, Festgabe für Gerold Meyer von Knonau, Zürich 1913) et Heckenbach in Paulyi et Wissowae encyclopaedia reali s. v. Hochzeit.

[2]) Cf. vasculum mus. Athen. 1252; lebes panno est contectus.

[3]) Cf. Furtwaengler-Reichhold tab. 57₃.

comederent sed ut quasi symboli instar significarent eos semper cotidianum victum abundantem esse habituros.

Lebetes nos recte interpretatos esse confirmatur tabula quae in pyxidis musei Londinensis pictura (F.-R. tab. 57_3) supposita est vasculis ut colligat cinerem. Deinde intendas velim ansae quam sint illigatae alte, nimirum ne qui tolleret vas fervidum laederet manus. Vetustiore aetate lebetem haud cohaesisse cum pede luce clarius est, superior pedis pars cum semper sit acriter recurvata, ne caderet impositum vas, et inferior lebetis pars praebeat ornamentum radiis insigne (Strahlenmuster), quod quasi turbatur pede supposito. Re vera talia reperimus vascula pedum expertia in nuptiarum repraesentationibus archaicis (cf. Cat. of vas. in the Br. Mus. II tab. V B 197) et eius modi vasculum Eretriense ipsum praebet scaenam nuptialem, deductionem Pelei et Thetidis, quae certae sunt figurae inscriptionibus ΠΕΛ ΘΕ (cf. Laurent, *ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1901 tab. 12, col. 177).

Lebetes si essent accipiendi „vases à lustration devant la porte de la mariée", quod contendit Bouché-Leclercq (s. v. *lustratio* in Antiquitatum lexico quod curaverunt Daremberg/Saglio/Pottier), certe sufficeret unum vasculum, deinde ornatus valde abhorreret a lustratione, tum haec interpretatio minime quadraret ad ceteras picturas in quibus occurrunt lebetes; tota interpretatio haud minus falsa quam eiusdem viri altera ad hanc picturam pertinens, de qua paulo post agam.

§ 2. Praeter lutrophoros et lebetes quos quasi vascula possumus vocare nuptialia etiam alia plurima praebent testimonia nuptiarum rituum, imprimis pyxides illae quibus omne abundabat gynaeceum et quarum permultae sunt ornatae nuptiarum repraesentationibus. Nimirum ob exiguitatem nimiamque loci angustiam haud sunt tam uberes quam illa vasa maiora; persaepe complures scaenas quae sequebantur altera alteram in unam colligunt repraesentationem (cf. Arch. Jahrb. 15, 1900 tab. 2 et F.-R. 57_3).

Deinde *ὄνος* (vel *ἐπίνητρον*) nuptialibus scaenis repletus commemorandus est.

Margareta Láng, „Die Bestimmung des Onos oder Epinetron" Berol. 08 ono exposuit usas esse feminas, ut neta fila levarent, priusquam texerent. Quod cum Bluemnero (Berl. Philol. Woch. 09 n 40) et Trendelenburgio (Woch. f. kl. Philol. 09 n 8) falsum puto. Epinetri usum perspexit C. Robert (*ἐφ. ἀρχ.* 1892 col. 247) qui illud *νέειν* e quo instrumentum nomen cepit[1]) recte explicat verbo *σωρεύειν*, i. e. pensum *ὄνῳ*, qui praebet formam asini tergi, accumulare. Roberti explicationi quae vel hoc instrumenti nomine commendatur assensus est Stephanus A. Xanthudides (Athen. Mitt. 35, 323).

---

[1]) Cf. Poll. Onom. VII 32: *ἐφ' οὗ δὲ νήθουσιν ἢ νῶσιν ἐπίνητρον καλεῖται καὶ ὄνος.*

Pro certo igitur hoc habendum: Epinetro parvis dentibus instructo lana, antequam nebatur, volvendo purgabatur (cf. Hes. s. v. *ἐπίνητρον· ἐφ᾽ οὗ τὴν κρόκην τρίβουσιν*). Tum demum lana carminata colui *(ἠλακάτῃ)* alligabatur, fusoque *(ἀτράκτῳ)* e lana fila torquebantur.

Caput II.

§ 3. Veterrimis temporibus vasculorum artifices in deliciis habuere deductionem. Omnium nuptiarum sollemnium haec est principalis et allicere debebat artifices, cum semper esset pompa sollemnis magni splendoris.

Haec in deductione versantur vascula:

- Londinens. n. 160, 174, 197, 298, 339, 340, 381, 485, 647 (Walters, Catalogue of the Greek and Etruscan vases in the Br. Mus. vol. II).
- Petropolit. n. 1, 17, 34, 143, 237 (coll. Camp.), 151; cf. Stephani, Die Vasenslg. der Kais. Eremit.
- Berolin. n. 1872, 1891, 1892, 1923, 1998 (Furtwaengler, Beschreibg. der Vasenslg. im Antiquarium).
- Monac. n. 44, 312, 432, 433, 442, 592, 649, 692, 1196 (O. Jahn, Beschreibg. der Vasenslg. König Ludwigs in der Pinak. zu M.).
- Würzburg. n. 124, 128, 299; cf. Urlichs, Verz. der Antikenslg. der Univ. W. 3. Heft;

praeterea vascula quae descripserunt Gerhard, Auserl. Vasenbilder IV p. 81–87, et Roulez, Bullet. de l'Académie royale des sciences etc. de Bruxelles vol. VIII 1841 p. 428 sqq.

Quarum repraesentationum est communis quadriga dextrorsum directa in qua stantes depicti sunt nupta sponsusque barbatus. (Qui semper stat a dextra sponsae partim eam occultans una excepta repraesentatione, in qua nondum conscendit currum sed unum solum imposuit pedem, Gerh. tab. 313). Sponsi cum omnibus egeant insignibus et inscriptionibus vel in vasculis, ubi reliquis personis adpositae sunt, quaeritur utrum sint homines an dei[1]).

---

[1]) Eos deos esse contenderunt de Witte (Descr. d'une coll. de vases d'Étrurie Par. 1837 p. 74 no 126), Roulez (l. c.), Raoul Rochette (Peint. de Pompei p. 11$_{1}$ et 36$_{21}$), Welcker (Gr. Götterlehre II 371, Arch. Ztg. 1865 p. 57 sq.), Foerster (Die Hochzeit des Zeus und der Hera, Breslau 1867), negarunt O. Jahn (Arch. Aufs. p. 94 sq.), Gerhard l. c., Overbeck (Kunstmyth. III p. 169–71).

Quod ut diiudicemus, convertamus nos ad reliquas personas quae comitantur pompam. Praeter feminas vascula vel faces gestantes[1]) pompae inspersi sunt viri in tria dirimendi genera. Pompam solet antecedere iuvenis quem distinguunt *πέτασος*, caduceus, *κηρύκεῖον*, calcei alti alati, chlamys viatoris. In una repraesentatione (Roulez tab. 2) inscriptio adposita est *Ἑρμου* sed etiamsi huic in vasculo quod ubi hodie asservetur nescitur non nimium tribuere vellemus, calcei alati sufficerent ad illum stabiliendum. Alae cruri illigatae etsi valde abhorrent a Graecorum more alas fingendi qui tibi notus est e vasculis figuris rubris ornatis et sculpturae operibus, tamen perfalsum esset eos ornamenta habere calceorum. Sescenta perscrutatus exempla mihi persuasi eos praecipue tribui Hermae Perseo aliisve quos Graecorum mythus aerem facit pervolantes. — Praeter Hermam pompae interesse solet citharista quem vasculi supra laudati (Roulez tab. 2) pictor Apollinem esse inscriptione illustravit *Ἀπόλωνος*. Qua de causa vel virum corona insignem hederacea, interdum etiam cantharo haud dubitaveris vocare Dionysum[2]).

Tres illi pompae comites etsi divi sunt habendi, tamen ex eis haud est colligendum vel sponsos esse deos. Hermes, Apollo, Dionysus nimirum haud occurrunt in numero deorum nuptialium[3]), sed Hermes est *πομπαῖος* et quamque potest comitari pompam et deus fertilitatis et ut *ψυχοπομπός* hominem comitatur ultimum facientem iter, etiam in hac vitae gratissima via ei adest. — Apollo quasi significat carmina in deductione usitata, *ἁρμάτεια μέλη* (cf. Et. M. p. 145, 25 s. v.)[4]). Dionysus

[1]) Faces nuptiales, *δᾆδες νυμφικαί,* quanti fuerint momenti vel inde apparet quod nuptiae clandestinae vocantur *ἀδᾳδούχητοι γάμοι* (Eust. ad. Hom. Il. Z 24 p. 622, 42a).

[2]) Deos nimirum haud inveneris conclusos omnes in unam repraesentationem; artifices ingenio indulgentes qui eis conveniret praecipue, elegerunt; hac de causa vasculorum delectamu: varietate, et ementium quisque habebat quod sibi eligeret.

[3]) Cf. Plut. Qu. rom. c. 29 p. 264 B: *ὅτι πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται, Διὸς τελείου καὶ Ἥρας τελείας καὶ Ἀφροδίτης καὶ Πειθοῦς* (quam Sapphonem — frgm. 135 Bergk — illius fuisse filiam tradunt scholia Hes. Op. et D. 74), *ἐπὶ πᾶσι δ' Ἀρτέμιδος;* cf. etiam Poll. III 38 qui solum commemorat Heram Artemidem, Moeras et vide quae de Apolline dixi p. 15.

[4]) Iam in Homerica nuptiarum descriptione Σ 491 sqq. legimus:

. . . . *πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει*
κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.

denique fertilitatis auctor hilaritatisque maxime quadrat ad talem scaenam et fortasse etiam eo adpositus est consilio, ut admoneat de convivio nuptiali modo finito.

Sponsos igitur in quadriga stantes licet accipere mortales. Divi cum sollemnibus intersint, eius modi repraesentationes comparaverim cum pictura illa Graeco=Romana bibliothecae Vaticanae (cf. p. 26 sqq.) quam haud inepte vocavit Nogara „un matrimonio umano artisticamente idealizzato".

Aliter res se habet, si praeter illos vel alii occurrunt dei velut Neptunus (cf. mus. Lond. amphoram figuris nigris ornatam, cat. II tab. 5) et Hercules (Berol. 1998). Hic agi de nuptiis sacris vel demonstrant additamenta mythica. Quibus exceptis cuncta congruunt cum eis vasculis quae in humanis versantur nuptiis. Maxime igitur idonea sunt e quibus vel mortalium possimus perspicere caerimonias nuptiales.

§ 4. Quod deductionis genus paulatim in artificum usu esse destitit. Sponsos non invenimus in quadriga luxuriosa ut in vasculis vetustiorum temporum quibus vel mortalium nuptiae celebrabantur summa luxuria[1]). Haud stant erecti sed sedent vehiculumque imprimis usitatum est currus mularius, *ἀπήνη* ([Hes]. Scut. 270 sqq.). Talem iam praebet vasculum Londinense figuris nigris exornatum saec. VI (cf. Guide to the exhibition illustrating Greek and Roman Life, Lond. 1908 fig. 12). Sponsa a dextra sedet adulescentis, *πάροχος* post eos tergum obvertens[2]). Personas in ipso currus sedere fundo est singulare. Pollux enim (Onom. X 33) dicit: *οὐ μέντοι ἀγνοῶ ὅτι **κλινὶς** ἐκαλεῖτο τὸ ἐπὶ τῆς ἁμάξης καταστρωννύμενον, ὅταν μετίωσι τὰς νύμφας, ἐφ' οὗ κάθηται ἡ νύμφη μεταξὺ τοῦ παρόχου τε καὶ τοῦ νυμφίου.* Idem affirmat Photius s. v. *ζεῦγος ἡμιονικὸν ἢ βοεικόν*[3]).

[1]) Quam postea vel leges coercuere, velut convivalium numerum vetitum erat excedere triginta, quam legem magistratus quosdam scimus custodivisse quibus erat nomen *γυναικονόμοις* (cf. p. 1).

[2]) Quocum velim compares similem figuram vasculi figuris nigris ornati quod publici iuris fecit Smith (J. of Hell. Stud. I tab. 7).

[3]) *ζεύξαντες τὴν λεγομένην κλινίδα, ἥ ἐστιν ὁμοία διέδρῳ, τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν εἰς τὰ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς. κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν* (quod Foerstero proponente correxi ex *ἑκατέρου) δέ [τε] ὁ νυμφίος καὶ ὁ πάροχος· οὗτος δέ ἐστι φίλος ἢ συγγενὴς ὁ μάλιστα τιμώμενος καὶ ἀγαπώμενος · · · καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς συνηθείας κἂν πεζοὶ μετιωσί τινες κόρην, ὁ τρίτος συμπαρὼν πάροχος λέγεται).*

Quae verba illustrantur ono quem primus publici fecit iuris Benndorf (Gr. u. sizil. Vasenbilder tab. 37_1 cf. etiam Robert, ἐφ. ἀρχ. 1892 p. 247 sqq. et Wien. Vorl. VIII no 5/6). Illud Photii ἑκατέρωθεν sponsos una sedisse sede demonstrat, sed artifex huius quidem vasculi tres offert personas alteram a tergo alterius. Talem in modum artificem distraxisse personas ac digessisse haud est inertiae; quanto fuerit ingenio, totum testatur opus summo perfectum artificio (cf. etiam illud Pollucis μεταξύ quod illum ordinem haud excludit). Aliter res se habet aggredientibus pyxidem musei Atheniensis (cf. Br. tab. 8_1) quae illius est simillima epinetri, si neglegimus pingendi modum qui est neglegentior illo. Hic sponsi cum sedent alter post alterum, ille πάροχος ante iumenta stat, quorum arripit frena, qualem in modum finxerit artifex mulos rotasque intuens intelleges solum inertia eum esse impeditum quominus illos sedentes fingeret alterum iuxta alterum.

Deductionem haud modo curru factam esse[1]) sed etiam pedibus alia edocent vascula figuris rubris ornata.

Momentum quo sponsus obviam it virgini sibi addictae, ut domum deducat, duae praebent picturae inter se simillimae, quarum altera reperta ad Picrodaphni publici iuris facta est ab Heydemanno, Gr. Vasenbilder tab. 10, altera Sunii reperta hodie Berolini asservatur (Furtw. no 2373 cf. Arch. Ztg. 1882 tab. 5); una eruebatur cum vasculo quod iuxta sponsam praebet inscriptionem καλε litteris confectam quibus utebantur Attici ante Euclidis archontis tempora. In utraque imagine iuvenis quem sequitur femina facem gerens accedit sponsae quae summa pudicitia oculos demittit κατ' ὄμματα καλὰ βαλοῦσα, ut legimus in Hom. hymn. Aphrod. IV 156, dum ancilla (νυμφοκόμος vel νυμφεύτρια)[2]) ordinat eius velamen. Altera repraesentatio super sponsos pendentem praebet Amorem tibicinem, in altera sponsae advolat Amor tenens collare. Vel hic vel in aliis eiusmodi repraesentationibus[3]) invenimus illud χεῖρ' ἐπὶ

---

[1]) Etsi hic erat mos usitatior, ut concluserim e Poll. II 195 qui dicit s. v. χαμαίπους· ἐκάλουν δὲ οὕτω τὴν οὐκ ἐπὶ ζεύγους κομιζομένην νύμφην.

[2]) Cf. Hes. s. v.: ἡ συμπεμπομένη ὑπὸ τῶν γονέων τῇ νύμφῃ παράνυμφος.

[3]) Cf. figuras pulcherrimas operculo agglutinatas speculi capsulae, quae ex Eduardi Schaubert collectionibus in museum transiit archaeologicum Vratislaviense; publici iuris fecit uberiusque explanavit Foerster l. c. Cf. etiam sarcophagum Parisinum (Rob. II tab. 189) qui a dextra parte praebet nuptias Iasonis et Medeae secundum vitae communis ritum (repraesentatio est tripertita: a sinistra videmus Iasonem vellere potientem, in media parte est exsculptus taurorum domitus). Paranymphae munere fungitur nutrix Medeae; Iuno pronuba quae inter

καρπῷ: sponsus dextra leviter capit sponsae manum pudice oblatam, ut quasi suam faciat symbolice. Qui ritus etsi est simillimus Romanorum, haud est comparandus cum dextrarum iunctione cui vis inerat legalis ac forensis.

Deductionem ipsam pyxis praebet olim Atheniensis, nunc Parisina quam primus publici iuris fecit Stackelberg (Gräb. d. Hell. tab. 32. Wien. Vorl. VIII n. 7). Sponsus ducit sponsam velamine opertam quam sequitur ancilla quae usque ad manus gestum congruit cum illis quarum antea mentionem fecimus. Primo loco ingreditur Diana quam vasculo denuo diligentissime examinato arcu esse ornatam compluribus litteris ad R. Foersterum datis et ab hoc benigne mecum communicatis confirmat E. Pottier. Dianam vel alibi numero contineri deorum nuptialium exposui p. 12. Quibus vel Apollinem puto inserendum esse qui lauri ramo insignis comitatur sororem et hic cum egeat cithara, haud ut in vasculis figuris nigris ornatis potest significare carmina nuptialia[1]).

Vascula figuris nigris ornata una excepta amphora Petropolitana[2]) in qua a dextra introspicere licet in domum patentem in qua ancillam videmus lectum praeparantem — vetustiora dico solam praebent pompam, sponsos qui splendida invehuntur quadriga comitesque. Vasculorum autem artifices figuris rubris ornatorum, ut ex hoc potes colligere exemplo clarissimo, in deliciis habuere momentum quo advenit pompa, praesertim cum agitur de deductione pedibus facta. Sponsi cum domum adveniunt, sollemniter salutantur. Domus festivis exornata est ramis (praecipue myrtaceis cf. etiam vasculi ornamentum Br. tab. V 2 et hydriam tab. 10 depictam). In lutrophoro collectionis Sabouroff (cf. § 6) parentes exspectant pompam, pater senex innixus baculo quo indicatur eius potestas domestica[3]), mater faces manibus tenens. Item in pyxide Stackelber-

---

sponsos stat et Amor qui ab Iasonis tergo est appositus, sunt additamenta artificis Romani. (Qua cum repraesentatione compares velim exemplar Taurini asservatum huius simillimum — Rob. tab. 190 — quod praebet Iasonis nuptias et Creusae. Artifex Iasonem hic facit immolantem, insuper addidit parvum camillum).

[1]) Bl(uemner) s. v. *Hochzeit* (Baumeister) totam scaenam ita interpretatus est ut virum ad portam stantem sponsum esse opinaretur cui adducerent virginem προμνήστρια et νυμφαγωγός. Sed primum illi cuius erat nuptias antea conciliare locus hic non est, ubi agitur de deductione; deinde vir barbatus baculo insignis qui sine ullo graviore animi motu exspectat pompam erit sponsus?

[2]) Quam e designatione quam ei comparavit Kieseritzky publici iuris fecit H. Thiersch in libro qui inscribitur Tyrrenische Amphoren, Lips. 1899 tab. 5.

[3]) Cf. Arist. Politicorum I § 7 πᾶσα οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου.

giana pater adstat portae. Hastam, cui tali in scaena haud est locus, e baculo illo puto esse corruptam. Similem in modum peccavit vasculi pictor quod publicavit Roulez (l. c. p. 5) feminae sponsis lucem praebenti duo attribuens hastarum spicula. Nimirum faces habendae sunt quales vel mater tenet, quae in cylice Atheniensi figuris rubris ornata (Wien. Vorl. VIII 1) in prothyro stans exspectat sponsos citharoeda canente cithara (cf. etiam pyxidem Eretriensem Arch. Jahrb. 15 tab. 2). Quibus cum monumentis compares quaeso schol. Eurip. Phoen. 344: *ἔθος ἦν τὴν νύμφην ὑπὸ τῆς μητρὸς τοῦ γαμοῦντος μετὰ λαμπάδων εἰσάγεσθαι.*

Caput III.

§ 5. Priusquam ad alias scaenas me convertam nuptiales quae quidem allexerunt artifices, perpauca praemittenda sunt de quattuor vasculis quae plane abhorrent a deductionis typo quem statuimus moresque exhibent singulares quos scriptores haud commemorant.

Initium faciat vasculum illius simillimum musei Britannici figuris nigris ornati quod praebet sacras nuptias. Est amphora ornata figuris nigris saeculi VI collectionis quam congesserat poeta Diego Vitrioli Rhegii (Reggio di Calabria). Fortuito e terrae motu qui — dies ater haud solum Italiae sed toti terrarum orbi — sub finem anni 1908 totam concussit Calabriam duasque urbes florentissimas solo aequavit evasit incolumis (his quidem temporibus, ut Rhegii comperi, in domo asservatur heredis; publici iuris facta est anno post a Nicola Putorti in Ausoniae volumine IV p. 132). Praeter *προηγητήν* et *παράνυμφον* pompam complures comitantur canephoroe, quarum una portat *λίκνον,* vannum non profundam qua hodie quoque utuntur agricolae ad purgandum frumentum[1]) (cf. Jane Harrison, J. of Hell. Stud. XXIII fig. 8). Nimirum hoc est idem canistrum[2]) e quo in cena nuptiali puerum panem videmus distribuentem. In convivio enim nuptiali puer cuius vivebant et pater et mater vannum, *λίκνον,* ferens circumibat, e quo distribuebat panem

[1]) Eandem repraesentationem invenimus in vasculo musei Neapolitani (Heydemann no 2498); partem imaginis quae spectat ad hanc quaestionem depinxit Putorti l. c.; evolvas quoque quaeso illius ephemeridis anglicae vol. XXIII ubi p. 315 invenies vasculum depictum quod duo praebet *λίκνα.*

[2]) Cui quantum tributum sit momenti vel inde patet quod eodem modo quo lutrophorus portatur in pompa sollemni.

cf. Zenob. Prov. III 98 corp. paroem. Gott. I p. 82: *Ἀθήνησι γὰρ ἐν τοῖς γάμοις ἔθος ἦν ἀμφιθαλῆ παῖδα ἀκάνθας μετὰ δρυίνων καρπῶν στέφεσθαι καὶ λίκνον ἄρτων πλῆρες περιφέροντα λέγειν· ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.* (Quod testantur etiam Hes. et Suidas s. v. et Ps. Plut. Prov. Alex. p. 12 55 ed. Wyttenbach. qui verbotenus congruens hoc offert testimonium). Qua caerimonia cur functus sit puer parentibus qui gaudebat salvis facile est intellectu: nimirum res debebat esse fausti ominis sponsisque praebere vitam diurnam. Eandem formulam cum inveniamus in mysteriis (Demosth. cor. § 259 dicit mystum consecrandum initiatum sacris eam declamasse), hic agi de veterrimo nuptiarum ritu apparet (cf. Ramsay, Sketches in the Religious Antiquities of Asia Minor, Ann. of the Br. School at Athens XVIII p. 52 sq.). Vannum in mysteriorum ritu in usu fuisse permulta testantur testimonia litterarum et monumentorum, in quibus est arca cineraria musei quod Thermarum vocatur (J. of Hell. Stud. XXIII p. 313). Vannus est Cereris symbolum et significat purgationem. Simillimus igitur est hic mos sponsae lavationis. — Vannus quia etiam adhibebatur symbolico sensu, cum nascebatur puer[1]), faustum fortasse accipiendum est nuptiarum omen quae *ἐπ᾽ ἀρότῳ παίδων γνησίων* initae erant, ut tradit Lucianus in Timonis cap. 17. Quod confirmatur lebete nuptiali in quo novam uxorem in conspectu mariti videmus puero indulgentem robusto (cf. Br. tab. 1 et Heydemann, Gr. Vasenb. tab. 11). Haud minoris momenti quam forma est quae continet vannus. Putorti cum dicit panem inesse fructusque, hoc e repraesentatione ipsa haud potest perspici. Alia enim eiusmodi vascula duo ostendunt illud super vannum eminens nil esse nisi ansam. Qua in quaestione nos adiuvat gemma celeberrima (Furtw. tab. 57_{11}, p. 260 voluminis quod tabularum continet explicationes (cf. Müller-Wieseler II n. 683) quam a. 1899 e collectionibus ducis Marlborough enormi pretio acquisivit museum Bostonense quod dicitur of Fine Arts. Opus quod offert Amoris et Psyches pompam nuptialem controversiam movit utrum inscriptio *Τρύφων ἐποίει* iussu hominis sit addita ad cuius collectiones pertinebat saeculo XVI et qui vir malae fidei cuique notus est archaeologo — Petrus ille est Ligorius an gemmam re vera teneamus illius quem Adaei commemorat epigramma (Anth.

---

[1]) Infans aut imponebatur vanno ipsi aut certe incunabula in vanni formam construebantur; cf. schol. ad Callim. hymn. I 48: *ἐν γὰρ λείκνοις τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη (τὰ γὰρ βρέφη τὸ πρῶτον γεννώμενα* addit scholiasta ad Arati Phaen. 268) *πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι.*

Pal. IX 544) Tryphonis gemmarii. Quod protulit Koehler (Ges. Schriften vol. III Petersb. 1851 p. 201) litteras incisas inscriptionemque supra imaginem insculptam indicare falsarium haud puto sufficere. Totum vero opus cur tribuamus saeculo XVI (cinquecento), quod proposuit Michaelis (Im neuen Reich, Lips. 1878 vol. I p. 934), non habemus. Vanni repraesentatio occurrit rarissime et vix credideris illius aetatis artificem hunc nosse usum nuptialem. Et ne unum quidem Michaelis attulit argumentum quo confirmaret sententiam suam. — Ex illa igitur gemma apparet vanno contineri fructus vel paniculos qui similem in modum atque in coloniis deducendis ubi tradebantur proficiscentibus, significant omnium quae ad victum pertinent abundantiam. Quam ob rem crediderim vel faces haud solum esse adhibitas ad collustrandam viam sed etiam ut similem in modum atque in demigrationibus ignem e foco demptum transferrent in novum domicilium. Solum hoc modo Iamblichus v. Pyth. c. 18 § 84 ubi de sponsae agitur deductione verba potuit adhibere: *ἀφ᾽ ἑστίας ἄγειν γυναῖκα.*

§ 6. Secundum ordinem quem tenendum censui sequuntur vascula figuris rubris ornata. Initium faciat exemplar quod praebet deductionem *ἐπὶ ζεύγους.* Furtwaengler (Slg. Sabouroff, tab. 58) publici fecit iuris lutrophorum figuris rubris ornatum in quo *πάροχος* quem *χιτών* tegit *ποδήρης* manu tenens *κέντρον* stat in vehiculo, dum mater a sinistra facem gerit. Sponsus autem quaeritur utrum imponat currui virginem an demat. Equidem puto e repraesentatione ipsa haud posse colligi utrum depicta sit profectio (Furtw.) an momentum quo adveniunt domum mariti. (Sticotti). Testimonia litterarum haud nos adiuvant ad hanc rem diiudicandam. Illa sententia fulcitur fragmento Ararotis comici (Kock vol. II p. 218 no 17) *ὅπως δὲ τὴν νύμφην, ἐὰν ὁ καιρὸς ᾖ, μετέωρον ἐπὶ τὸ ζεῦγος ἀναθήσεις φέρων,* et pro sententia quam profert Sticotti possumus afferre Neograecorum quendam morem qui sponsam solent supra domus limen portare[1]). (Wachsmuth, Das alte Griechenland im neuen p. 97). Qui mos vel Romae vigebat (cf. Plut. Rom. 16, Serv. in Verg. ecl. VIII 29, Lucan. Pharsal. II 358) et a Plutarcho Quaest. Rom. 29 hunc in modum explicatur: *διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας ἀλλ᾽ ὑπεραίρουσιν; πότερον ὅτι τὰς*

[1]) Samter in libro quem inscripsit: Geburt, Hochzeit und Tod, Beiträge zur vergleichenden Volkskunde 1911 demonstrat apud plurimos populos opinionem esse sub limine versari daemones homini malevolos et eo solum consilio sponsam super limen portari, ne illos turbet in limine pedem ponens.

πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες οὕτως εἰσήνεγκαν · · · *ἢ σύμβολόν ἐστι τοῦ μηδ᾽ ἐξιέναι δι᾽ αὐτῆς μηδὲ καταλιπεῖν τὴν οἰκίαν εἰ μὴ βιασθείη, καθάπερ καὶ εἰσῆλθε βιασθεῖσα.* Quarum explicationum altera secundum quam resistens virgo quasi vi domum inducitur, ne postea effugiat, minus mihi videtur probabilis esse. Habemus, sive hunc sive illum in modum interpretamur scaenam, rapinae rudimentum; e qua plurimas recentiorum temporum consuetudines duxisse originem recte admonet Samter; cf. ut nonnulla afferam exempla, velationem, cursum citissimum in amphidromiis usitatum. Rapinae vel Graecos ipsos fuisse memores multi demonstrant mythi[1]), quorum est clarissimus sescentisque repraesentatus monumentis Pelei et Thetidis. Quibus mythis quasi refulgent veterrimorum temporum mores consuetudinesque apud Homerum qui iam in usu esse destiterunt. Solum Helenae raptus nos in illam reducit aetatem, cum in aliis carminum partibus quae has res tangunt nobis occurrat cultior mos sponsae emendae. Terzaghi igitur cum libello qui inscribitur „Di una rappresentazione della lotta tra Peleo e Tetide", Pescia 1904, hominum nuptiarum ritus qui rapinae habent formam illa imitari contendit specimina diva ad eaque esse fictos, rem quasi invertit. Dionys. Halic. II 30 claris verbis ex antiquissimis temporibus raptum Graecorum fuisse tradit (*Ἑλληνικόν τε καὶ ἀρχαῖον*), quem morem apud Lacedaemonios vel temporibus floruisse historicis discimus e Plut. Lyc. 15: *ἐγάμουν δὲ δι᾽ ἁρπαγῆς κτλ*[2]).

§ 7. Alium morem singularem praebet cratera figuris rubris ornata saeculi V quae Tanagrae reperta nunc servatur in museo Atheniensi (Collignon-Couve n. 1341; publici iuris facta est a Perdrizeto — *ἐφ. ἀρχ.* 1905 tab. 6/7 — vasculi formam praebet Samter in libro supra laudato et Collignon-Couve tab. 25). Aversa vasculi facies praebet pompam nuptialem petentem aram vel focum in quo ardet flamma; initium facit femina duas gestans faces in sponsos retrospiciens, haud dubie mater, sequuntur sponsi, post eos vir et femina, paranymphus et nympheutria. Superiorem partem tres obtinent viri quorum unus iacit calceum (alter humi iacet). Tibicina et puer faces gerens explent lacunas, haud minus lauri ramuli qui passim inserti scaenam foris agi simul demonstrant. In aversa vasculi parte picta est quadriga, quae ex aliis deductionis repraesentationibus est nota

---

[1]) Velut Boreas rapit Orithyiam, Castores Leucippi regis filias.

[2]) In Boeotia moris erat currus quo deducebatur sponsa comburere axem, ut quasi impediretur fuga; cf. Plut. Quaest. Rom. c 29 p. 271 d: *καὶ γὰρ παρ᾽ ἡμῖν ἐν Βοιωτίᾳ καίουσι πρὸ τῆς θύρας τὸν ἄξονα τῆς ἁμάξης ἐμφαίνοντες δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος.*

duoque Amores quorum unus pulvinos quos ei offert femina currui est impositurus. Alia femina super arcam flectitur quam illos continuisse verisimile est, dum duae contemplantur spectaculum otiosae. Nobis solum res est cum repraesentatione antica. Perdrizetius scaenam sacrificium putat esse nuptiale[1]) falso, hoc sacrificium cum ante deductionem fieret in sponsae domo[2]); focus significat domum mariti quam petunt. Quem habuerit sensum calceorum iactatio haud facile est dictu. Samter morem calceorum immolandorum quem apud plurimas detexit gentes diligenter perscrutatus calceos fuisse aptos dicit ad daemones mitigandos malevolos quibus pro persona ipsa quam petebant solum reddebatur eius vestimentum (Substitutionsopfer, ut dicere solent mythologi hodierni). Et sponsa quae hoc tempore deserebat domus paternae numina quae ei praebuerant tutelam et in mariti recepta phratriam[3]) eius serviebat numinibus re vera habebat cur illos mitigaret. Nimirum esset singulare non sponsam ipsam facere sacra, sed illum virum. Sed etiamsi hanc superavimus difficultatem dicentes illum esse patrem patrisque esse pro filia immolare[4]), tamen si ageretur de sacrificio domus numinibus peragendo, in domus necesse esset sacrificare foco qui eis erat sacer. Quam offensionem gravissimam cum haud possimus tollere, temerarium puto esse vasculum cum his rebus coniungere. Sed eis estne opus ad hanc explicandam repraesentationem? Alius vir doctus, Hutchinson (Mariage customs in many lands, Lond. 1897 cap. XXI) illo ritu sponsam dimitti e patris dicione putavit. Quod ut credamus, nisi vult explicare obscurum obscuriore, ante omnia auctorem opus esset exponere calceis significari patris domi potestatem. Sed ut ait Cicero (pro Archia IV 7) *est ridiculum ad ea quae videmus nihil dicere, quaerere quae habere non possumus.* Scaena illa mystica nonne explicatur satis superque rapinae usu? Pater cui quasi eripitur filia ira incensus iuveni immitit telum quod ei ad manum est calceos; attendas quaeso eum in sponsum defigere oculos!

---

1) *ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τούτου ἐτελέσθη ἀναμφιβόλως ἡ πρὸ γάμου θυσία* (col. 211).

2) Erat pars cenae nuptialis, quae cum secundum Athenaeum V 185 B daretur *τῶν γαμηλίων θεῶν ἕνεκα,* constare debebat e sacrificio et convivio. Illi nomen fuisse *προτέλεια* tradit Poll. III 38 et Hes. s. v. explicat: *ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία καὶ ἑορτή,* quae vox nil potest significare nisi sollemnia in domo sponsae, i. e. illam cenam nuptialem.

3) Illam *εἰς τοὺς φράτορας ἐγγραφήν* falso negat Beauchet.

4) Hanc figuram significare patrem vel inde colligo, quod cum amicis pompa quidem proficiscente sedens remanet.

§ 8. Finem faciat pyxis musei Britannici (publicata a Murray, White Athenian vases tab. 20, repetita Br. et Guide to the exhib. illustr. Gr. and Rom. Life, descriptionem praebet Cecil H. Smith, Cat. of the Gr. and Etr. vases III 393 D 11 et Brueckner l. c. in primo commentationis capite). Sponsus virginem manu prehendens ad domus ducit aram, cui adstat Vesta sceptrum tenens et ficum — re vera ficum esse illustrat figura quam Brueckner l. c. p. 83 inserit — quae quasi repraesentat *καταχύσματα*[1]) (quae constabant e talibus rebus, cf. Theopomp. in schol. ad Arist. Plut. 768: *σύγκειται δὲ τὰ καταχύσματα ἀπὸ φοινίκων κολλύβων τρωγαλίων ἰσχάδων καὶ καρύων*). Congruit igitur hic mos cum altero. Solon enim sponsas, priusquam in thalamum reciperent sponsum, iusserat comedere malum Cydonium quod omnibus temporibus et apud omnes gentes erat fertilitatis symbolum (cf. Plut. praec. coniug. c. 1 p. 138 D: *ὁ Σόλων ἐκέλευε τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μήλου Κυδωνίου κατατραγοῦσαν — αἰνιττόμενος*, ut pergit usum in ridiculum modum explicans, *ὡς ἔοικεν, ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρῶτον καὶ ἡδεῖαν*[2]).

Sponsos antecedunt puer tibiis canens geminis et duae feminae faces gestantes circumque focum currentes[3]). Est igitur repraesentata decursionis caerimonia. Quem habuerit sensum facile est intellectu, si memores sumus apud Graecos morem fuisse infantem recens natum circum focum portari raptim[4]), ut domus commendarent numinibus reciperentque sollemniter. Cuncti qui censuerunt illo more usos esse Graecos, pedibus ut recens natus fieret celerrimus, quod igni esset lustrandus etc., Samteri refutantur explicatione sagacissima. Amphidromia receptionis esse caerimonias apparet e Plat. Theaet. p. 160 E, ubi Socrates de infante Theaeteti e cerebro nato, i. e. de cognitionis definitione, quam ipse obstetricis munere functus protraxit ad lucem, haec facit verba: *μετὰ δὲ τὸν τόκον τὰ ἀμφιδρόμια*

---

1) Schol. Aristoph. Plut. 768: *τῶν γὰρ νεωνήτων δούλων τῶν πρώτως εἰσιόντων εἰς τὴν οἰκίαν · · · καὶ τοῦ νυμφίου παρὰ τὴν ἑστίαν τραγήματα κατέχεον εἰς σημεῖον εὐετηρίας, ὡς καὶ Θεόπομπός φησιν ἐν Ἡδυχάρει. φέρε σὺ τὰ καταχύσματα ταχέως κατάχει τοῦ νυμφίου καὶ τῆς κόρης* quem morem confirmat Hes. s. v. *καταχύσματα*.

2) Bluemner („Über gr. Hochzeitsgebr." cf. p. 9 not. 1) in hoc contextu admonet de verbi *σῦκον* significatione obscoena (cf. hymenaeum qui finit Arist. Pacem).

3) Figura sinistra ad laevam vertens pedes illius simillima feminae quae foco adstat, solum potest esse tutrix domus paternae; cf. Phot. lex. s. v. *ζεῦγος* (p. 13). Figura quae finit picturam a dextra est *γαμοστόλος* praeparans thalamum quem indicat *κορυθάλη*; cf. Etym. m. 531 54 s. v.: *ἡ πρὸ τῶν θυρῶν δάφνη τιθεμένη (ὅτι οἱ κλάδοι οὓς κόρους καλοῦσι θάλλουσιν)*.

4) Cf. etiam Vürtheim, Amphidromia (Mnemosyne 1906 p. 73 sqq.).

αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεπτέον σκοπουμένους μὴ λάθῃ ἡμᾶς οὐκ ἄξιον ὂν τροφῆς τὸ γιγνόμενον. Similem in modum sponsa quae domui quasi increscebat novum membrum et in novam recipiebatur domum, tutelae commendabatur numinum eius. Quae in hac pictura repraesentat Vesta quae adstat sine ullo graviore animi motu, dum circum eam festinant homines[1]).

Caput IV.

§ 9. Vascula figuris nigris ornata, breviter ut complectar pompae nuptialis repraesentationes quas supra tractavi, ut cuncta praebent eandem scaenam, i. e. sollemnem deductionem quadriga factam quae nunquam permutatur, ita vasa figuris rubris exornata vidisti excellere repraesentationum varietate. Praeter deductionem *ἐπὶ ζεύγους* sive quadriga sive curru factam mulario occurrit deductio pedibus facta neque raro est coniuncta cum salutatione. Vascula igitur figuris rubris ornata cum hanc unam scaenam tam variis formis referant, haud mireris vel in aliis versari nuptiarum scaenis.

Ordiamur a vasculo quod alteram praebet pompam sollemnem illius simillimam quam in deliciis habent vasculorum figuris nigris ornatorum artifices. Est lutrophorus ad gymnasium repertus Atheniense quod e conditoris nomine vocatur *Βαρβακεῖον* (Coll. no 503, cf. Mon. d. Inst. X tab. 34_1 = Wien. Vorl. VIII 2). Repraesentat — lutrophori num potest excogitari ornatus aptior? — aquationem sollemnem nuptae lavandae causa factam. Videmus pompam quandam ductam a puero tibicine feminaque faces manibus tenente, haud dubie matre. Sequitur puella umero gestans illud vasculum quo aquam ad sponsae lavationem pertinentem adportatam esse exposui in capite I (p. 9), deinde sponsa ipsa. Quam cum obicit A. Herzog (Arch. Ztg. 1882 p. 140) haud esse velatam omnique carere mundo et hac de causa minime posse significare sponsam, intendas velim primam eam sequi puellam aquantem summa pudicitia oculos humum demergentem, et quod attinet ornatum, nondum potest esse ornata, cum hoc ipso tempore incipiant nuptiarum praeparationes; e contrario mirandum esset, si iam esset insignis mundo nuptiali. Si etiam aliis opus est argumentis, inspicias velim coronam murtaceam super eam pendentem Amoremque, qui haud adiuvat

[1]) Passum velocem in hac scaena nuptiali fortasse esse raptus rudimentum iam supra (p. 21) significavi.

puellam vas portantem, ut nonnulli contenderunt viri docti, sed manibus quasi salutans sponsae advolat virgini. Altera femina facem gestans et femina quae leviter ei videtur manum imponere, re vera autem ut impellat pompam sustinet bracchium, nympheutria, finiunt pompam. Est pompa nuptialis sollemnis et cum desit sponsus, hic depictam esse perspicuum est ex Enneacruno aquationem[1]). Faces cum adhibeantur, aquam verisimile est haustam esse vespere vel nocte nuptiis antecedente. Sponsam ipsam pompae interesse admoneo. Qua re equidem concluserim pristinis temporibus fluvio ipso eam lautam. Thebis Ismeno flumine scimus lautas esse sponsas, Magnesiacas Maeandro, Scamandro Iliacas *(λάβε μου, Σκάμανδρε, τὴν παρθενίαν)*. Deinde sponsas ipsas interesse pompae necesse erat, quod, ut Plutarchus tradit in narr. amat. c. 1 p. 772 B, ad fontem sacra faciebant Nymphis: *ἕως ἡ κόρη κατὰ τὰ πάτρια ἐπὶ τὴν Κισσόεσσαν* (agitur de Haliarto urbe) *καλουμένην κρήνην κατήει ταῖς Νύμφαις τὰ προτέλεια θύσουσα*[2]). Quem haud solum fuisse Boeotiae morem edocemur hoc vasculo quod in aversa parte offert acerram in sacrificiis usitatissimam. Qualem habuerit sponsae lavatio sensum symbolicum, superfluum puto disserere; huic autem scaenae magnum tributum esse momentum vel inde apparet quod hic non est hydria vulgaris, qua utuntur, sed vas ad hoc ipsum perfectum, ille lutrophorus.

§ 10. Permulta nobis servata sunt vascula figuris rubris ornata quae quomodo postridie mane ornata sit sponsa demonstrant[3]).

Nolo praebere catalogum cunctorum quae in his rebus versantur (solum Athenis inveni quattuor cf. Coll. n. 1227/8/32 1959). Nonnulla afferam exempla insignia quibus mihi videntur contineri cuncta eius typi. Ordior a vasculo maxime simplici a. 1891 Athenis ad orphanotrophium eruto, quod etsi partim est deletum, tamen praebet scaenam principalem prope incolumem (vas publici fecit iuris Wolters, Ath. Mitt. 16 p. 382). Haud agi de cotidiano corporis cultu sed de ornanda sponsa significat lutrophorus quem,

---

[1]) Cf. Thucyd. II 15 qui haec facit verba de Callirrhoes fonte: *καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν καὶ ἐς ἄλλα τῶν ἱερῶν νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι* et Poll. III 43: *καὶ λουτρά τις κομίζουσα λουτροφόρος, Ἀθήνησι μὲν ἐκ τῆς Καλλιρρόης, εἶτ' αὖθις Ἐννεακρούνου κληθείσης, ἀλλαχόθι δ' ὅθεν ἂν καὶ τύχῃ.*

[2]) Cf. etiam schol. Pind. Pyth. IV 104: *οὐδὲ γάμος οὐδεὶς ἄνευ Νυμφῶν συντελεῖται.*

[3]) Primas agunt partes pyxides, vascula quae cum feminarum cultu cohaerentes angustissime in nulla deerant gynaeconitide.

cum haud adsit lavandi causa, adposuit artifex, ut melius perspiciatur repraesentationis argumentum nuptiale[1]). Medium tenet virgo sedens, ante eam arcam tenens (mundo completam, ut concludere licet, muliebri) stat *νυμφοκόμος*[2]), a sponsae tergo illa quam iam commemoravimus femina lutrophorum tollens. Coronis tota ornata est gynaeconitis, quas semper invenimus in scaenis nuptialibus.

Repraesentationis quadam simplicitate huius picturae persimilis est pyxis Eretriensis figuris rubris ornata partim inauratis quae hodie est Berolini (publici iuris facta a Deubnero, Arch. Jahrb. 15, 1900 tab. 2). Ut vasculi operculum quasi nihil est nisi altera eiusmodi pyxis diminuta imposita maiori, ita sponsae ornatio, ubi Amor ipse *νυμφοκόμου* fungitur munere, vel in operculo compluries est repetita forma paululum commutata.

Quae vascula Attica cum excellant simplicitate quadam artifice scaenam perpaucis concludente personis necessariis, valde abhorrent a patera illa magnifica reperta ad Panticapaeum (Kertsch) quae in museo asservatur Petropolitano (F.-R. tab. 68). Huius quoque paterae magnopere artifex operam navavit operculo. Est, ut ita dicam, totius operis pars principalis et ita constructum, ut ipsum quoque liceat ponere quasi alteram pateram. Haud est facile e multitudine feminarum secundum Scytharum gustum summo vestitarum splendore segregare sponsam. Nimirum solum potest perspici in una e figuris sedentibus nec ipsa agente. Quarum alteram ut missam faciam compluribus permotus sum causis: primum singulare esset sponsum — si recte interpretor iuvenem qui ab Amore baculum complectente quasi retinetur — hoc quidem tempore adesse sponsae, deinde faciei forma habitusque matronalis indicant artificem depingere voluisse sponsae matrem. Prima omnium, ut convenit matronae, ornata est (virgo adstans haud illi admovet speculum sed sibi ipsi, ut facile intelleges cum e speculo ipso tum e dextrae gestu) et sollemniter ornata exspectat filiam, temporis fastidium ut pellat, cum genero loquens. Sponsa est agnoscenda in figura matri opposita in altera operculi parte, quam fovent duae ancillae. Vel thymiaterion quo in Veneris honorem comburere solebant tus et quod vel in illa pyxide Eretriensi ad sponsae stare pedes meministi, hic occurrit,

[1]) Quam ob rem etiam ramis ornatus est impositis. Cum Brueckner putat picturam referendam esse ad tertium nuptiarum diem quo donabatur recens uxor, equidem hoc offendo quod femina a tergo sponsae tenet donum. Intendas velim vel in aliis vasculis in quibus feminae operam dant sponsae ornandae reperiri lutrophoros.

[2]) Hes. s. v.: *ἡ νυμφεύτρια ἡ κοσμοῦσα τὴν νύμφην.*

haud minus Amor sponsae sandalia curans. Attendas velim vel Amorem coronam ferentem advolare virgini.

Restat ut feminae duae quae mensae inclinatae tribus caprae pedibus nitenti summo laborant studio, quem in modum sint explicandae quaeramus. Sunt qui contenderint eas aliquo occupatas esse ludo. Furtwaengler rem acu tetigit dicens eas praeparare placentas nuptiales, quas fuisse usitatissimas eo liquet quod breviter vocabatur *γαμήλιος* secundum Hesychium s. v. *ὁ εἰς τοὺς γάμους πεσσόμενος πλακοῦς.* Reliquae figurae sese ornantes vel ornatae sunt sponsae comites quas invenimus et in cena nuptiali et in deductione. Artificem cum quod personarum attinet numerum tum vestes ditissimas, paene egressum fines artificii excusaveris, cum vasculum deberet adaptari Scytharum gustui. Muliere adstante luterio haud offendes, cum agatur de praeparatione festiva. Talis formae *λουτήρια* ad lavationes esse adhibita testatur F.-R. tab. 107. Caveas avesque passim invenimus in gynaeceis.

In Atticam reducimur pyxide saeculi V hodie servata in museo Britannico (Cat. n. E 774 F.-R. tab. 57,3), quam, quia praebet quaedam singularia, ultimo loco tractandam reservavi. Hic quoque de scaena agi nuptiali demonstratur lutrophoro. Pictura duo offert ornationis momenta: a sinistra comae ornantur sponsae, deinde induit sandalia nuptialia quae secundum Hesychium vocabantur *νυμφίδες*[1]). Actio igitur cum procedat, portam lebetesque adstantes quasi futuri puto esse indices, haud dubie primae noctis atque posteri diei. Nimirum artifex ob loci angustias res solum tetigit. Cadit igitur explicatio quam dederunt Hartwigius et Woltersius qui haec quidem vascula coniungentes cum lutrophoro, deinde adducti geminatione ad sententiam sunt perducti lebetes esse vasa in quibus aqua lutrophoro allata partim sit asservata frigida partim sit calefacta. Hartwigius ut defendat sententiam suam, confer quaeso quem in modum sit coactus explicare ramos vasculis impositos: *κλαδίσκους* lebetum dicit destinatos esse ad *μετάδοσιν ἀρώματος εἰς τὸ ὕδωρ* et lutrophori collo esse insertos, *ὅπως ἐμποδίζωσι τὸ ὕδωρ νὰ ἐκπηδᾷ ἐκ τοῦ ἀγγείου*! Recte me interpretatum ut videas, nonnulla afferam argumenta. Tales diversas scaenas nuptiales haud inter se cohaerentes non raro esse repraesentatas praecipue in pyxidibus ut scias, pyxidis Eretriensis te commonefacio iam commemoratae (Arch. Jahrb. 15 tab. 2). Deinde iterum ad futura nos ducit pyxis ipsa, sive putamus sponsam futuri temporis velle detrahere velamen rotulam volventem magicam sive,

---

1) *ὑποδήματα,* explicat, *γυναικεῖα νυμφικά.*

quod ob actionem progredientem mihi videtur verisimilius, artificem finxisse novam nuptam quae ut semper maritus maneat fidelis utitur iynge[1]); cf. Theocr. II 17: *ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.* Cui instrumento quantam tribuerint vim magicam, hi demonstrant versus (Anth. Pal. V 205):

Ἴυγξ ἡ Νικοῦς ἡ καὶ διαπόντιον ἕλκειν
ἄνδρα καὶ ἐκ θαλάμων παῖδας ἐπισταμένη.

Explicatio huius scaenae quam praebet Bouché-Leclercq (s. v. lustratio-Dar./Sagl. Pott.), „purification par aspersion" haud minus falsa quam lebetum quos vocat „vases à lustration" (cf. p. 10), refellitur vel Himero rotulam illam volvente in hydria quam publici iuris fecit Milani, Monum. scelti d. R. Mus. arch. di Firenze tab. 4 (Br. p. 79), et vel in Hauseri delineatione diligentissima (F.-R. tab. 57_3) rotula clare apparet.

Caput V.

§ 11. Hunc quoque typum postquam persecuti sumus a principiis usque ad exemplaria splendidissima recentiorum temporum, convertamus nos ad alterum. Vasculorum enim figuris rubris ornatorum picturae haud solum in praeparationis versantur caerimoniis, i. e. aquatione et sponsae ornatione, sed etiam sponsos in novum comitantur domicilium coniunctionem ipsam tractantes ritusque qui sequebantur postero die.

Cubiculo ipso persaepe repraesentato minus offendes, cum memineris vascula talibus scaenis ornata sponsis donata esse haud, ut nos consuevimus, ante nuptias, sed postridie, ut paulo post demonstrabo.

Quarum repraesentationum primum obtinet locum illa parietis pictura quam vocare solemus „Aldobrandinische Hochzeit". Hoc in contextu eam commemoro, quia originem ducit a pictura Graeca Graecosque refert mores (cf. Roßbach, Röm. Hochzeits- und Ehedenkmäler p. 1: „Die sog. Aldobr. Hochzeit ist eine ideal freie Composition in durchaus griech. Geiste und muß daher außerhalb des Kreises unserer Betrachtung bleiben" cf. Foerster Arch.

---

1) Ut secundum Hesychium s. v. appellatur rotula illa: *ἀπὸ τοῦ ὀρνέου καὶ τὰ κατασκευαζόμενα εἰς ἔρωτας ἴυγγας καλοῦσιν* (haec *κατασκευαζόμενα*, instrumenta, rotulae formam habuisse testatur Suidas s. v. *ἔστι δὲ καὶ ὄργανόν τι ἴυγξ, ὅπερ εἰώθασιν αἱ φαρμακίδες στρέφειν ὡς κατακηλούμενα τοὺς ἀγαπωμένους*).

Ztg. 1875 p. 80 sqq.). Quod sensum attinet picturae, doctissimi viri eam accipiebant pro mythologiae scaena: velut Winckelmannus Pelei et Thetidis, Gerhardus Paridis et Helenae voluerunt agnoscere nuptias. Quarum explicationum priorem non possum sequi, cum Peleus et Thetis, quorum nuptias artifices in deliciis habuere, hic omnibus careant insignibus; vel momentum si depictum esset quo Venus Helenam cohortatur ut Paridi se dedat, offenderem quod Paris quem semper distinguunt calcei luxuriosi, pilus Phrygius, vestis splendidissima, omnibus caret insignibus. Certae nuptiae etsi haud agnoscendae sunt, tamen illi rem acu tetigerunt, cum figuram humi procumbentem et lecti pedi applicitam sponsum esse dixerunt. Aliter eum interpretati sunt C. Robert (Die Aldobr. Hochzeit, Herm. 35, 1900 p. 657 sqq.) et B. Nogara „Le nozze Aldobrandine“ qui hanc picturam celeberrimam a. 1907 denuo publicavit tractavitque uberrime. Thalamum repraesentatum esse negant. Repraesentatam esse domum paternam et „sponsum“ Hymenaeum interpretandum esse ducis, *προηγητοῦ,* munere functurum in pompa nuptiali. Ubi enim traditum esset — haec sunt argumenta Roberti — sponsam ante sponsum intrare thalamum, et sponsus mortalis num potest depingi nudus? At sponsam in thalamo exspectare sponsum exempla demonstrent quae afferam p. sequ. et locus Catulli 62, 191: *uxor in thalamo tibi est.* Sponsus si depictus esset nudus, equidem in tali scaena haud offenderem, sed minime est nudus. Deinde obiecerim „Hymenaeum“, cum quod staturam tum quod colorem attinet rubrum, nihil habere commune cum deo nuptiali omnique egere insigni vel face qua hic semper est instructus (cf. Rich. Schmidt, De Hymenaeo et Talasio, Diss. Kiliae 1886 p. 55—80). Praeterea si facimus cum Roberto et Nogara, scaenae laterales difficultates praebent quae nullo modo possunt dirimi. Sponsae amicis a dextra pompam praeparantibus ab Hymenaeo ducendam quid sibi vult thymiaterium? Prorsus intolerabilis est sinistrae partis interpretatio. Robertus scaenae principalis interpretatione coactus vel hanc scaenam transferre in domum paternam respersionem („aspersione con acqua lustrata“ Nogara repraesentatam esse contendit). Sed talem caerimoniam quam iam supra refelli haud tradunt veteres. Nogara ipse concedit: „Meno distinti sono i due gruppi laterali e specialmente quello di sinistra“. Sed nullam praebent difficultatem, si quod scaenam principalem attinet, sequimur interpretationem traditam (nova nupta in geniali thalamo quam cohortatur diva *νυμφεύτρια* ut abiciat timorem sponsoque permittat intrare). Dextra scaena

quasi significat *ἐπιθαλάμιον*, carmen in nuptiis ipsis ante thalami portam decantatum (cui condicioni vel libatio Hymenaeo facta melius quadraret). A sinistra nullam ego rationem video cur non in patera aquam pedibus sponsae lavandis agnoscamus destinatam[1]).

Qua e pictura vel vestium colorem in nuptiis usitatarum possumus perspicere: sponsae est alba congruenter cum Eur. Alc. 932, sponsi rubra (cf. etiam aryballos quos depinxit Brueckner in illius programmatis tabulis). Cui repraesentationi in qua sponsus exspectat dum sibi liceat thalamum intrare respondent compluria vascula quae sponsam praebent extremo insidentem lecto sponsum exspectantem. Velut Ariadne in cratera Camarinae reperta quae nunc servatur in museo Syracusano (cf. Mon. ant. pubbl. per cura della R. Accad. dei Lincei XIV 1904 tab. 1) erecta et velata in lecto sedet exspectans maritum. Amor eam coronat; Dionysus lectum adit, Theseus dum petit navem. Revelationem ipsam (cf. etiam picturas udo illitas villae Farnesinae Mon. d. I. XII tab. 8) praebent nonnulla antiquarii Berolinensis vascula figuris agglutinatis ornata quae Brueckner l. c. publici iuris fecit et tam egregie explicuit nihil ut habeam quod addam. Poll. III 43 hoc praebet testimonium singulare: *καὶ δὴ καὶ κλίνη τις ὠνομάζετο ἡ μὲν γαμική, ἡ δὲ παράβυστος ἣ καὶ αὐτὴ στρώννυται ἐν τῷ δωματίῳ ὑπὲρ τοῦ τὴν παῖδα μὴ ἀθυμῆσαι (ὡς Ὑπερείδης* — frgm. 144 Bl. — *ἔφη).* Quae *κλίνη παράβυστος*, eadem, ut recte coniecit Brueckner, in qua sedebant sponsi in deductione, apparet clare in aryballo tabulae primae[2]). Sponsus insidet lecto geniali, cum sponsa, quae re vera valde videtur esse anxia nec dimittit amicam, obtinet *κλίνην παράβυστον* e patris domo adportatam. Feminae autem quomodo interpretandae sunt quae in altero aryballo Athenis reperto ab utraque lecti sedent parte?[3])

Paranymphis cum hoc momento locus non sit — pictura illa bibliothecae Vaticanae haud contradicit, quia sponsus nondum est in thalamo — illae figurae fortasse sunt interpretandae sponsorum amicae vel propinquae quae, ut tradit Proclus (chrestom. gramm.)

---

[1]) Quem morem testatur Arist. Pac. 842/4. Femina capite velato digito temperat aquam, figura semiabdita adportat scabellum.

[2]) A. 1885 erutus est e tumulo ad Apolloniam Thraciae sito et acquisitus e collectione van Branteghem.

[3]) In vasculo ipso haud tam propinque quam videtur ob picturae curvaturam in delineatione.

in Phot. bibl. cod. 239 p. 321a 17 *καὶ τὰ ἐπιθαλάμια δὲ τοῖς ἄρτι θαλαμευομένοις ἐπὶ τῷ θαλάμῳ ᾖδον*[1]).

Quam ob rem Musaeus Heronis et Leandri describens nuptias clandestinas haec facit verba (274): *ἦν γάμος, ἀλλ' ἀχόρευτος· ἔην λέχος, ἀλλ' ἄτερ ὕμνων.* Secundum Pollucem III 42 praeterea sponsi amicus cui nomen erat *θυρωρός*[2]), *ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς εἴργει τὰς γυναῖκας τῇ νύμφῃ βοώσῃ βοηθεῖν.* Aliud testimonium coniugii rite facti praebet amphora Tarentina summi splendoris quam Gerhardus (Apul. Vasenbilder tab. 15 — Brueckner, Ath. M. 32 t. —) publicavit sed parum recte explicuit. Pannus quem ancilla lecto imponit et Hebe (agitur de Hebes nuptiis et Herculis) tam diligenter intuetur haud potest esse quivis pannus, quem quid hoc loco sibi voluerit intellegere nequeo. At clara fit pictura, si meminimus permultas apud gentes morem esse coniugium rite initum panno confirmare cruento qui ostenditur amicis. Quem pannum artificem voluisse exhibere pro certo habeo, cum punctis sit insignis fuscis. Brueckner eiusmodi pannum vel agnoscere vult in manu feminae, quae in pyxide (tab. V 1) supra memorata tribus viris diligenter intuentibus rem videtur ostendere.

§ 12. Vasculorum postquam perlustravi diversa genera quae in nuptiarum versantur ritibus, restat ut dicam de typo qui est in donis sponsis oblatis postridie.

Deubner in commentatione inscripta: „Epaulia u. Anakalypteria"[3]) has res separans haec dona esse dixerat quae sponsus virgini daret, cum cena finita in patris domo develaretur. Monumenta autem deductionis semper nobis praebuere sponsam velamine obtectam quod in thalamo demum demit. *Ἀνακάλυψις* igitur post cenam cum haud sit statuenda, *ἀνακαλυπτήρια* non possunt significare dona quae hac occasione donaverit sponsus. Et Harpocratio vocat *ἀνακαλυπτήρια· δῶρα διδόμενα ταῖς νύμφαις, ὅταν τὸ πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ὥστε ὁραθῆναι τοῖς ἀνδράσιν.* Non commemoratur cena. Quam revelationem sollemnem haud fieri potuisse post convivium, in quo persaepe hilaritate fuisse constat convivales dissolutiore, haud necesse est admonere, et Harpocratio cum haec *ἀνακαλυπτήρια* vel *θεώρετρα*[1]) statim dicat *ἐπαύλαια (καλεῖται δὲ αὐτὰ καὶ ἐπαύλαια)* quae ni-

---

[1]) Cf. etiam Pind. Pyth. III 19: *οὐδὲ παμφώνων ἰαχὰν ὑμεναίων ἅλικες οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι ἑσπερίαις ὑποκουρίζεσθ' ἀοιδαῖς.*

[2]) Cf. etiam Hes. s. v. *ὁ παράνυμφος ὁ τὴν θύραν τοῦ θαλάμου κλείων.*

[3]) Arch. Jahrb. 15 p. 144 sqq,

[4]) Etiam *ὀπτήρια* traditur vox. cf. Moeris Attic. p. 205 edit. Bekkeri: *ὀπτήρια Ἀττικοί, ἀνακαλυπτήρια Ἕλληνες.*

mirum est altera forma vocis notioris ἐπαύλια[1]), ἐπαύλια et ἀνακαλυπτήρια idem esse efficitur, quod negaverat Deubner.-Dona solebant offerri die qui sequitur nuptias, sive appellabantur ex eo sive eis nomen tribuebat sponsa tum primum vulgo sese offerens develatam. Hesychius ἐπαύλια dicit τὴν δευτέραν τῶν γάμων ἡμέραν. Quae facile dissolvitur difficultas, si meminerimus quemque civem sollemnia nuptialia celebrasse secundum suas opes; haud raro vel in minus sint relata temporis spatium. Secundum morem usitatissimum tres complectebantur dies. Tertio die vel Iovem sponsae videmus donantem φᾶρος μέγα τε καὶ καλόν · · · ταῦτά φασιν ἀνακαλυπτήρια πρῶτον γενέσθαι. ἐκ τούτου δὲ ὁ νόμος ἐγένετο καὶ θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν. (Pherecyd. Pentem. ed. Diels, S. B. d. Berl. Akad. d. Wiss. phil.-hist. Kl. 1897 p. 144 sqq., Frgm. d. Vorsokrat. p. 508, 11). Vel alibi in numero donantium occurrit sponsus. Est igitur sola sponsa cui ferant dona, quod vel colligere potes e donorum genere[2]) quae secundum Eustathium l. c. ἐν σχήματι πομπῆς offerebantur[3]). Maritum in his repraesentationibus deesse neque una cum ceteris in sollemni pompa dona afferre neminem offenderit.

Quae pompa compluries est repraesentata in vasculis donatis ipsis quae — ex eis quae exposui haud mirum — omnia fere sunt vascula quibus utebantur in gynaeconitide[4]).

Si exemplaria male servata e quibus vix licet aliquid concludere omittimus, primo loco commemorandus est musei Atheniensis

[1]) Quae vox apud Pollucem III 39 explicatur ἡ μετὰ τῶν γάμων ἡμέρα, quam explicationem in etymologicam partem amplificat Pausanias lexicographus qui apud Eustathium ad Iliad. Ω 29 eam derivatam esse tradit a verbo ἐπαυλίζεσθαι · οἱ δὲ καὶ τὰ διδόμενα δῶρα τῇ νύμφῃ καλοῦσιν ἐπαύλια. Dona igitur appellabantur e die quo donabantur.

[2]) In hoc contextu de eis admoneo vasculis quae velut pyxis mus. Athen. n. 1584 (Collignon-Couve 1550) προσαγορεύουσι novam nuptam, i. e. cohortantur ut illam sectetur matrem familias

. . . . ἡ δὲ μελίσσης
οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι

ut Phocylidis — frgm. 3 — verbis utar (Brueckner, Lebensregeln auf Athen. Hochzeitsgeschenken 62. Winck.-Progr. Berl. 07).

[3]) παῖς γὰρ ἡγεῖτο χλανίδα λευκὴν ἔχων καὶ λαμπάδα καιομένην, ἔπειτα παῖς ἑτέρα κανηφόρος, εἶτα λοιπαὶ φέρουσαι λεκανίδας (quae alio loco etiam vocantur κοιτίδες) σμήγματα φορεῖα κτένας κοίτας (cf. Hes. s. v. κεράμεαι λοπάδες καὶ ἐν αἷς ἀμφίθρυπτα ἔφερον τοῖς νεογάμοις) ἀλαβάστρους σανδάλια θήκας μύρα νίτρα.

[4]) Cf. etiam crateram illam Florentinam quae cuique nota est sub nomine „François-Vase" (F.-R. tab. 3 4). Secundum vitae communis typum refert deos Thetidi novae nuptae dona ferentes. Artifex quasi matrimonii bona omina Vestam Cereremque fingit antecedentes.

onos (pyxidis illius — F.-R. 57_3 — tam similis ut Hauser eum eiusdem artificis esse putet) quem publicavit Hartwigius *ἐφημ. ἀρχ.* 1897 tab. 10. Haec uxori offeruntur munera nuptialia: avis quae feminarum in deliciis cum esset, crebro occurrit in gynaeceo[1]), duo lebetes, lutrophorus, quae hoc quidem tempore nullius sunt usus, quod potes colligere e ramulis insertis, sed scaenis ornata nuptialibus in perpetuum debent admonere de his quidem sollemnibus. Hauser in commentationis suae parte quam inscripsit *Ἀδωνιάζουσαι* (Öst. Jahresh. 1909 p. 90) vel hanc repraesentationem in illum putat inserendam esse contextum (haud minus illam quam eidem tribuit artifici pyxidem) „Eine Lutrophorus, welche das Wasser für das Brautbad vor der Hochzeit enthält, kommt als Gabe an eine verheiratete Frau verspätet". Cui sententiae obiecerim quae modo dixi; praeterea refutatur lutrophoro musei Atheniensis (n. 12540) epaulia repraesentante in quo nova nupta lutrophorum modo receptum tenet contemplans imagines. Cf. Arch. Jahrb. 1900 tab. 2. Ramuli haud possunt aequari illis *κήποις*, cum vel in aliis occurrant nuptiarum repraesentationibus. Denique ubi sunt scalae, sine quibus haud potest cogitari *Ἀδωνιασμός*? Cunctae imagines quas depinxit Hauser eas praebent et scriptorum testimonia clare eas poscunt: cf. Arist. Lysistr. 389: *ὅ τ' Ἀδωνιασμὸς οὗτος οὐπὶ τῶν τεγῶν* et scholiasta ad h. l. adnotat: *ἑορτὴν γὰρ ἐπετέλουν τῷ Ἀδώνιδι αἱ γυναῖκες καὶ κήπους τινὰς εἰς τὰ δώματα ἀνέφερον.* Suidas denique aequat *Ἀδώνειοι κῆποι* et *μετέωροι κῆποι* (s. v. *Ἀδ. κῆπ*). Haud minus errare qui in hoc vasculo censeant sponsam esse repraesentatam exspectantem sponsum[2]) demonstrat quasillum in altero huius simillimo vasculo musei Atheniensis sub lecto depictum (Br. fig. 5, C. C. 1239) quod est uxoris insigne eiusque significat laborem domesticum. (Praeter lutrophorum et lebetes nuptiales vel occurrit in pyxide illa Eretriensi cuius media pars pompam monstrat dona ferentium[3]).

Alterum vasculum, ille cuius iam mentionem feci lebes, similem in modum novam praebet nuptam in sellio sedentem reclinatorio

---

[1]) Cf. Stephani, Compte rendu 1860 tab. 1 et nuptiarum praeparationem F.-R. tab. 68.

[2]) Velut Hartwigius l. c. accipit imaginem *σκηνὴν παρασκευῆς εἰς γάμον* (col. 133).

[3]) Talem in modum si interpretamur imaginem, oni repraesentationes quasi tempore cohaerent et altera sequitur alteram. Laeva pars tripertita praebet Amorem qui quasi promnestriae fungens munere adportat iuvenis dona virginem petentis, deinde scaenam in qua Peitho cohortatur puellam, tum sponsae ornationem vel revelationem; antica pars oni curvata nuptiarum exemplar ipsarum praebet Pelei et Thetidis luctationem; dextrum autem latus, ut supra demonstravi, praebet epaulia. Omnes repraesentationes quasi colligit Venus epinetri capiti agglutinata.

pedibus leviter curvatis, cui dona ferunt (eadem scaena repetitur in vasculi pede). Iuxta autem iam mater ficta est felix quae gaudet puero. Quod nonne est quasi verborum illustratio quae facit Ps. Dion. Halic. *τέχν. ῥητορ.* IV (opusc. ed. Usener/Radermacher II 1 p. 271) qui quod *λόγον* attinet *ἐπιθαλάμιον* commendat: *ἐπὶ τέλει δὲ καὶ εὐχῇ χρῆσθαι ὅπως ὅτι τάχιστα παῖδες γένοιντο*?

Finem faciat alter musei Atheniensis lebes (C. C. 1228 Br. tab. V 2 quae fide superat priorem publicationem — M. d. I. X 34_2 — quae permulta praebet falso restaurata). Sinistra pars congruit cum illis quas supra attuli repraesentationibus. Brueckner quidem sponsam putat coronari a Venere („Investitur durch Aphrodite"). Sed Amor haud sufficit quo nitentes feminam illam habeamus deam; et diadema etiam alibi occurrit, cf. coronam dentatam Br. tab. VIII — equidem puto eam nihil esse nisi ipsum donum. Quod Hauser hic praeparari Adonidis sollemnia censuit, concedendum est scalam reperiri, sed offendo donorum genere quae nihil habent ad illa referendum. A dextera eiusdem scaenae, ut ita dicam, videmus alteram versionem leviter permutatam. Femina in sella sedens, duo lebetes, etiam quasillum, cuncta tibi nota sunt. In numero autem dona ferentium cum inveniatur Victoria, fortasse est symbolum luctationis nuptialis, cuius usus rudioris reperimus vestigia in mytho illo Pelei et Thetidis. Cum autem facimus cum Bruecknero qui figuram alatam interpretatur Auroram, admonere satis est mane facta esse epaulia. Explicationem praeferens Brueckneri lebete nitor musei Atheniensis qui figuram alatam praebet facibus instructam (Br. tab. 7) quae etsi interdum tribuuntur Victoriae, tamen primitus sunt Aurorae propriae[1]).

Epaulia igitur, breviter ut repetam, celebrabantur mane, postquam carmine somno excitaverunt maritos[2]).

Sponsa aut versatur in cubiculo in lecto sedens aut modo egressa ordinat vestem dextra laciniam super umerum protrahens (Br. tab. 7, C. C. 1575, tab. 48 et Br. tab. 8) aut sellae insidet quae convenit matri familias (cf. tab. 9), semper, quod iterum admoneo, velaminis expers[3]).

---

[1]) Alias eiusmodi repraesentationes quae praebent Auroram ostendit Br. p. 105 adnot.

[2]) Cf. quid dicant feminae Lacedaemoniae in Theocr. *Ἑλένης ἐπιθαλ.* 18 56
νεύμεθα κἄμμες ἐς ὄρθρον, ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδὸς
ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ ἀνασχὼν εὔτριχα δειράν
(quod carmen vocatur *διεγερτικόν*).

[3]) In asino illo quem publicavit Hartwigius sponsae capillus in nodum est collectus panno contectum quem cingit vitta (Fransenbinde).

Epaulia sunt feminarum sollemnia quae celebrabant inter se ipsas[1]; nunquam occurrit vir. Cf. Poll. III 39 qui tradit post nuptias novum maritum in socerorum transisse domum[2].

Nonnullas huius transmigrationis repraesentationes de quarum sensu ob res in aversa vasculi parte depictas haud potest esse dubitatio, enumerat Brueckner in adn. p. 111.

Vel si tacerent fontes litterarum, posteris diebus coniceremus maritos gratiam rettulisse dis nuptialibus imprimis Veneri[3].

Ne hoc quidem effugit vasculorum artifices. Brueckner l. c. p. 115 sqq. enumerat maxime insignia huius generis, postquam antea sub finem gamelionis in Aphrodites honorem Athenis demonstravit celebratos esse dies festos.

---

[1]) Qua de causa censebant viri docti agi de scaenis cotidianis gynaecei.

[2]) *ἀπαύλια δὲ ἐν ᾗ ὁ νυμφίος εἰς τοῦ πενθεροῦ ἀπαυλίζεται ἀπὸ τῆς νύμφης* (cf. Plut. Lyc. 15 qui Lacedaemonios vel nuptiarum die tradit epulatos esse sine sponsa). De apauliorum ritu nuper scripsit Deubner, Archiv f. Religionswiss. XVI 1913 p. 631 sq.

[3]) Vel de parvis admoneo lebetibus ad Artemidis Brauroniae sacrum in acropoli Athenarum repertis.

Vita.

Natus sum Alfred Nawrath die XXI mensis Iulii a. 1890 in vico Posnaniae provinciae cui nomen est Karge patre Alberto, matre Emma quibus superstitibus gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Per novem annos Lignitziae frequentavi gymnasium urbanum. Vere a. h. s. IX universitatem petivi Vratislaviensem, ut studiis me dederem philologicis historicis archaeologicis; totum fere annum 1912 in Graecia commoratus sum et Italia. Hi me docuere V. V. D. D.: Baumgartner, Cichorius, Cohn, Foerster, Frech, Gercke, Kautzsch, Patzak, Pillet, Praetorius, Riesenfeld, Scheer, Schrader, Seeger, Supan, Skutsch †, Stern, Ziegler. Seminario philologico et archaeologico per tria semestria interfui sodalis ordinarius aditum mihi praebentibus Foerstero, Gerckio, Skutschio. Foerstero gratias debeo quam maximas quod custodis musei archaeologici munus benigne ad me detulit meque in hac perficienda commentatione haud desiit iuvare.